

5

*Johannis Frischmanni, Regis Galliae Legati, Argentorati quondam  
residentis, vid. Placcina in Theatro Anonym. et Pseudonym. n. 1168.*

COMITIA WARSOVICA

DE

ELIGENDO  
POLONORUM  
REGE.

---

MDC LXIX.

COMITIA WARSOWICA

ELIGENDO

*Ex XVII 332 lo madli*

POLONORUM

REGE

M D C L X I X



## *Conspectus Rerum.*

Archiepiscopi Gnesnensis Regni Primatis ad Proceres Poloniae alloquium,

- I. **A**D Ordinem Senatorium de ejus dignitate ac potestate.
- II. Ad Ordinem Equestrem, de ejus prerogativa, libertate, paritate, voce libera.
- III. Ad ipsam Poloniam, Rege vacuum, deq; Exregis felicitate.
- IV. De ipsa Regis abdicatione cum aliorum comparata, an licita.
- V. Ejusdem Primatis exhortatio ad Proceres de quaerendo Polonorum Rege.
- VI. Rationes Senatus de sumendo indigena.
- VII. Rationes Nobilium de eligendo alienigena, & quali.
- IIIX. Codicilli Legatorum exterorum pro exteris, Papae pro Neoburgico ac Badensi.
- IX. Imperatoris pro Lotharingico; post, pro Neoburgico; postremo pro Badensi.
- X. Galliarum Regis pro solo Neoburgico, & amicae Exregis in Galliam advenae invitatione.
- XI. Magni Moscoviae Ducis pro Filio suo.
- XII. Universae Poloniae consensus de extero eligendo, exterorumque meritis, & de difficili inter penes pares electione.
- XIII. Suffragia Senatorum Seniorum pro Neoburgico.

**XIV.** Juniorum pro Lotharingico.

**XV.** Mediorum pro Badensi.

**XVI.** Vox libera Nobilium primæ factionis pro XII. Palatinis, temporariis regni administratoribus, addito extero Prorege, summo belli Duce, Turenio; rejectis certis ex causis Neoburgico, Lotharingico, Badensi.

**XVII.** Vox libera Nobilium secundæ factionis, hujusque primæ Classis pro Lotharingico, secundæ pro Neoburgico, ultimæ pro Badensi: rejectis à prima factione objectis Neoburgico, Lotharingico, Badensi.

**XIIX.** Vox libera Nobilium tertiæ factionis pro Moscho.

**XIX.** Vox libera Nobilium quartæ factionis pro Condeò, à nemine hætenus nominato nec Commendato, ejusque Successore filio, Duce Anghiano: rejectis Mosci promissis, Poloniæ calamitosis, ipsoque Mosco libertati Poloniæ inidoneo.

**XX.** Ingens Comitiorum strepitus ac tumultus; alijs sorte legendū Regem, alijs suffragio libero clamantibus.

**XXI.** Primatis intercessio, ejusque de omnium sententiis sententia, deque eligendo vox interrupta ab uno Nobilium; electio novi Regis ad Exregem, Nobilium hodiè primorem, relata.

**XXII.** Exregis solertiâ ac pietate Electio ad Deum relatâ; Condeus divinâ voce, electus, omnium acclamatione approbatus, diadematus, II. regni circumscriptus.



## I.

**G**loriosissimi Poloniae Proceres.

Augustissime Senatorum confessus;  
 Regni Pectus, Eloquium, Oraculum;  
 Legum custos, Libertatis vindex, Servitutis obex;  
 Medius Regem inter & Populum paries,  
 Retentaculum illius exundantis nimium hujus labentis sustentaculum,  
 Senatoriam potens Libertate,  
 Intercedendi, monendi, dicendi,  
 Si qua Rex precipit, qua populus non percipit:  
 Quam Rei-vertitur concentus-publica,  
 Regis honor, mandatorum vis, regni felicitas.

## II.

Tuque melior regni Pars, literis operata & armis,  
 Illustrissima Equestrium corona.  
 Regni Brachium, munimentum, Ornamentum;  
 Sarmatarum germen liberum:  
 Regij pupilla oculi, oculis carior Regi;  
 Magnis adversus Regem ac pro Rege munita juribus;  
 Tuo Tu arbitrata Regem facis, facto legem das,  
 Dubio consilia, arto auxilia, nimio frena;  
 Nec nomen servitutis, nec justis regi amas;  
 Generosos undiquaque spiras Spiritus,  
 Nobilitatis, libertatis, aequalitatis.  
 Vox Tua libera, summa tua prerogativa;  
 Eadem Tuorum in Comitibus Nunciorum, loco omnium;  
 Hac veterum servatrix, novorum genetrix jurium;  
 Hac valente, valet publica securitas,  
 Regni Pax, Pacis ubertas, ubertatis perpetuitas,  
 Vicinorum fides, Exterorum amicitia.

Primatis  
 Polonia ad  
 Proceres  
 alloquium.

## I.

Ad Sena-  
 tum.

## II.

Ad Nobi-  
 los.

III.  
Ad Poloniam.

IV.  
De ipsa Regis abdicatione regni.

\*a Carolus V.

Regina Christina.

\*b Arabianus.

Cecilius

Metellus.

Alphonsus

Rex Neapolitanus,

ejusq; filius

Ferdinand.

Ludovicus

Sforza.

Pandolphus

Petrucius.

Cosm. Medices, &c.

\*c Scipio

Africanus.

An licitis

de hoc.

Cicer. Cato

Major.

Plutarch.

num. semi

sit ger. resp.

idem in

vita Cat.

Major.

Sueton.

Vespasian.

Seneca de

otio sapienti

III.

Tu deniq; *Vniversa Polonia, eheu nunc vacua,*  
Facto Regis, non fato legis, casu miro Casimiri,  
Mira fortuna experti, nunc expertis;  
Sponte Exregis, nunc felicitis;  
DEO sibi, vacantis, verè regnantis:  
Ipse nemini molestus, nemo ipsi.

IV.

Numinis in regno vices tenere, divinum,  
Gerere, regium;

Linquere, insolitum;

Sic linquere, inauditum;

Quod tot ambiunt, invadunt, tenent, continuant.

Hic liquit ultro.

Liquere idem alii, alio pravisu, alio provisu,

Suorum pleriq; ac propinquorum.

Alius <sup>b</sup> populi spe equioris alius <sup>b</sup> metu turbidioris,

Ille cedenda injuria, iste invidia,

Alter suorum, in ingratitudinem castiganda,

Sua alter fama non ultra periclitanda;

Iste impar oneri, ille honori,

Hic procul his,

Orbus regnum regno retulit, Patria obtulit:

Satur gloria;

Sic libuit Regi.

Sic nè licuit, quem mori stantem decuit?

Regna non nisi cum vita deponuntur:

Pulcherrimus senectutis usus Respublica est:

Nullum speciosius regno sepulchrum.

At quis,

Laboribus, adversis, viribus, senio,

Fractus, jactatus, defectus, fessus,

Secessum non spiret, ut respiret?

Deducendum fuit Regis navigium,

Astu & astu quasum, cassum, ferendis inhabile ventis,

Tutum in portum, beati orij negotium;  
Dandum regni & lethi cura quoddam interstitium,  
Serum, sed serium majoris sanctimonia exercitium.

Sic licuit Regi.

Vlra,

Regis factum non est rimandum, sed mirandum;  
Minus illo ficti stilo Gelamabbatiscij notandum.

V.

Ceterum,

Integerrimi Patres Conscripti,  
Nobiles omnium liberrimi,  
Splendidissimi absentium terrestres Nuncij,  
Polonia interreges, Regum dilectores,  
Ad comitia electoralia hac acciti Warsoviam,

Adeste,

Liberis suffragiis, integris animis, manibus vacuis,

Hoc nunc agite,

Rogato in consilium DEO; regni nostri conservatore,  
Per totam Poloniam; & Europam circumferte oculos,

Quarite quem optimum inveneritis,

Virum Principem, Nobilem, justum, fortem,

Dicite, quem vestrum nominem Regem;

Electo sub pellibus leges scribite,

Cum ipso ut fratre fratres agite.

VI.

Cerrato diu, multumque consultato,

De tanti capite momenti;

Senatorum principum plurimum consensu censuit,

Populum Sarmatarum jam olim à suis relictum,

Principibus invicem ac Palatinis, Regibus post continuis,

Illis diverso facinore notis, his virtute ac fortunâ varijs,

Ab uno ex nobis hodieque regendum;

Huc imprimis nostram nunc intendendam Curiam curam;

Legi idem convenire Sacro-Iudaicæ, Gauloniticæ,

Moribus

V.

Præmissis  
ad eosdem  
exhortatio  
de quarren-  
do Polonia  
Rege.

VI.

Senatorum  
rationes de  
suscipiendo  
indigena,  
non alieni-  
gena.

Moribus omnium penè Martiarum gentium;  
 Edicto Rationis perpetuo,  
 Sua nationis primori pareri æquius, durius alienigena.  
 Qui nostris stringi legibus nolet, nos suis regere volet;  
 Nostras, vel optimas, quoties ringet, infringet;  
 Nostra Privilegia vocabit crepundia,  
 Data plorantibus, auferenda cessantibus plorare;  
 Totam sibi sumet Majestatem, totam in nos servitutem.  
 Non credes regnum sibi securum sine securi,  
**Rogius morbus est superbiæ tumor, furor in extero:**  
 Cui omnia suspecta, aut despecta;  
 Mutua inde murmura querela, clientela,  
 Extremum deniq; remedium, bellum internum.  
 Regnum quoq; exteri ferè diurnum, nos diuturnum,  
 Vel pereunte obsequio subjeetorum,  
 Vel crebrescente invidia amulorum,  
 Vel quia ipse contemptus, vel quia non contentus:  
 Crebra hinc Regum Electiones, regni mutationes;  
 Cuncta hac parùm usui regno.

Ergo,

Quod à principio habuere, & nunc habeant indigena regnum.  
 Ut ex istis Senatores, ita ex his fiant Reges.  
 Neminem nostrum nominamus, quempiam nostram volumus.  
 Nostri nobis notiores;  
 Exteri virtutes speramus, non spectamus.  
 Nonne reliqui sunt in Polonia sceptro digni Heroes?  
 Radzivilij, Lessenski, Lubomyrscij,  
 Sapiichi, Gonzevuskencij, Czernieci,  
 Bonkovuskencij, Pacencij, alij:  
 Inde legendus Idoneus,  
 Bello Paci subitis casibus, consiliis, temporibus, moribus,  
 Ex magnis major, ex bonis melior, ex melioribus optimus,  
 A regni Primare Rex Polonia nuncupandus.

VII.

Vario hac animorum excepta motu Nobilium,

Rationes  
 Nobilium  
 pro alieni-  
 gena, &  
 quali.

Pront



*Prono mediò irato.*

*Regnivè administratores*

*Sami Regem, ipsa in Polonia, Polonia honorum,*

*His visum;*

*Alijs, perinde vel hic vel alibi,*

*Plurimis indignum,*

*Dari imperium pari in pares;*

*Alios, quàm Piastici, hujus esse seculi mores,*

*Alios Nobilium animos;*

*Piastico simplices, tranquillos, concordés,*

*Hodierno contrarios, vafros, turbidos, discordés.*

*Spiritu,*

*Altos, altiores, altissimos;*

*Quempiam Nobilium præminere ceteros,*

*Æmulos nolle, æquales non pati:*

*Promptos perire, quàm parère pari.*

*Par pervertit regnum, ubi prævertit.*

*Crescit parendi vilitas paritate, levatur peregrinitate.*

*Durior sub Nobili ex servo servitus,*

*Sub Rege ex Nobili Nobilitas.*

*Servanda Nobilium paritas, ut regni servetur felicitas.*

*Nobilitas non est geminanda in uno, ut germinet in suis;*

*Nec in his geminanda, ne iterum geminetur in posteris:*

*Invalido Legum, valido suorum auxilio,*

*Quos velit emergere, reliquos submersos.*

*Singularis Sarmatarum Politica est,*

*Regi ab exteris,*

*Litvanis, Transylvanis, Suecicis Regibus,*

*Tagellonibus, Batoreis, hodie ab alijs.*

*At nolumus, ut nunc sunt, illos externos,*

*Imperiosâ Majestate morosos,*

*Suetos*

*Dominari, minari, tumultuari, grassari;*

*Hos ferre queunt, qui servitutem queunt:*

*Hanc nos ignoramus, illos non desideramus;*

*Exterum volumus Heroem, non Herum:*

Regni moderatorem, non regnatorem,  
 Regiis obsequiosum legibus,  
 Liberis imperare simulac parere gnarum  
 Modicum potentiae, viribus parvum, animo magnum;  
 Militarem, in acie Leonem, in pace Agnum:  
 Procul hinc dissitum, indeq; non timendum:  
 Cunctis amandum, militibus admirandum,  
 Vicinis suspiciendum, hostibus formidandum.

Ceteri,

Catholicum, ad pium, justum, at aequum, severum, at clementem,  
 Fortem, at prudentem;  
 Nostris conformem, non difformem moribus.  
 Latine facundum, Sarmaticè non indocilem;  
 Modestum, non molestum; facilem, non difficilem;  
 Gravem non levem; Comem, non contemptum;  
 Vultu Majestaticum, habitu Semideo similem;  
 Corpore procerum, viribus integrum, etate inflexum,  
 Vno voto ac verbo,  
 Regias animi corporisq; dotes habeat oportet,  
 Qui regnum Polonia volet habere.  
 Tali Polonia digna patrono, iste throno:  
 Scilicet de calo lapsus.....

VIII.

Hic

VIII.

Codicillis  
 Legati Pa-  
 pa pro Neo-  
 burgico ac  
 Badensi.

Capta certi nominatio Legatorum codicillis intercepta,  
 Sanctissimi auspicio Patris,  
 Duo è principibus Germania familiis commendati Principes,  
 Neoburgensis & Badensis,  
 Regni Sarmatarum Candidati, regno Sarmatarum digni,  
 Vel solo summi reliqua superantis iudicio Pontificis;  
 Tanti Patris votum penè est imperium.  
 Ille Exregis affinis, iste regio sanguini confinis;  
 Gustavi Wasoi, Suecorum Regis, filia Cæcilia  
 Proavia paternâ,  
 Christophoro Marchione Badensi,

Proavo paterno,  
 Proditus pronepos,  
 Ferdinandus nata fratrum, ac virtute, maximus.  
 Totum Neoburgici elogium trilogio expeditum,  
 Prudentia, Constantia, Clementia;  
 Dotes ad pariendum honorem potentissima.  
 Cetera

Polonorum genio genuinus Princeps Catholicus  
 Proceritate Corporis, honore Capitis, dignitate oris,  
 Longè lateque ostentandus.

Badensis

Insigni religionis, justitia, bonitatis zelo,  
 Cali regno, multò potius Polonia, digno:  
 Princeps gente Germanus,  
 Humanitate Polonus, nemini secundus,  
 Summis & imis par, idem & unus.

Modestia fama vel hoc famosissimus voto;  
 Præverti mavult Candidatus, quàm prævertere Candidatos,  
 Omnibus postponi cupidus, præferendus omnibus.  
 In hoc ipse post omnes, post ipsum nemo laudandus.  
 Reliqua eius decora, Populo Polono decora,  
 Prudentia, militia, munificentia,  
 Dum suppressit, exprimit,  
 Clemens IX,

Summus Catholicorum Pontifex, Romæ Princeps;  
 Data & signata commendatio,  
 Ad D. Mariæ Majoris, sub Annulo piscatorio,  
 Die VI. IIXBRIS CI<sup>O</sup> I<sup>O</sup>CLXIIIX.  
 Anno Pontificatus II.

IX.

Hic uterque notatus & albo Imperatoris calculo;  
 Carolus Lotharingius, primo, ac præcipuo:  
 Princeps florentibus Annis, longe junior Exrege,  
 Diu diademati habilis;  
 Stirpe par regia, arte reguandi solers, nec in. rs.

IX.

Codicilli  
 Legati Imperatoris:  
 pro Lotharingico præcipui; deinde pro Neoburgico,  
 Pugnari-Badensi.

*Pugnandi nec ignarus, nec ignavus.*

*Et jam quâdam militari Famâ cognitus :*

*Calebs,*

*Minori regni onere, majori regni cura,*

*Nulla implexus domestica,*

*Soli vacuus Polonia innoxius, obnoxius,*

*Planè ad Sarmatarum vora & fata factus.*

*Nullius Vasallus, nullius potentia, nullarum virium,*

*Hùc refugus, longius hinc remotus, libertati non formidosus,*

*Nonnè vestro aquè ac nostro, bonorumq; omnium iudicio,*

*Carolus Lotharingicus,*

*Desiderabilis Polonia Rector?*

*Sin minus isse, en annis, factis, & factis maturior,*

*Præcipuus Germania Princeps, Neoburgicus,*

*Nostro nuper Imperio, nunc & vestro idoneus regno,*

*Pace optimas, bello haud spernendus.*

*Omnis Imperij Princeps Miles est.*

*Alius ast plus alio enitet in bello, alius in pace.*

*Hic inprimis expetibilis,*

*Ob regni munimenta liberos, certum successorem Filium,*

*Sarmatarum moribus, studijs, laboribus, linguis,*

*Quàm maturrimè educendum*

*Super sunt Candidatorum sua modestia ultimi, merito primi,*

*Tres una ex domo fratres,*

*Ferdinandus, Leopoldus, Hermannus,*

*Marchiones Badenses.*

*Suis pares majoribus, sago, toga, gloriosis,*

*Iacobo, Bernhardo, hodièq; Wilhelmo,*

*Institiâ,*

*Qua sine nulla diu possunt subsistere regna,*

*Præcipuis :*

*Ille,*

*Quod latronum rabies rapuit viatoribus,*

*Suo de fisco restituit,*

*Alter,*

*Sigismundi olim Imp., Wilhelmus nostras hodie Iustitia vices gerit.*  
 Illi

*Hoc nati patre, paribus educti studijs,  
 Militaribus, Civilibus:*

*Stipendia imperitandi, parendiq; meriti;  
 Rerum ambiguarum, secundarumq; scientes;  
 Majestatico corporis habitu pares, atate dispaes,  
 Animi erecti, plani, prorsus Polonici ac humani.*

*Meliores pro Polonia non tulit Germania;  
 Nec sustulit alia, quam ex mea orta Badensis familia,  
 Similes Habsburgici & Suecici sanguinis partus.*

*Omnes\* infra Exregis atatem;*

*Omnes regio in Poloniam affectu;*

*In Nobilitatem, hujus paritatem, istius libertatem.*

*In quemcumlibet libera Civium suffragia inclinabunt,*

*Non errabunt.*

*Sua quoque cuique inest peculiaris virtus;*

*Polona*

*Ferdinando urbanitas, Leopoldo magnanimitas, Hermannolibert-*

*Si qua cui deest alia*

*(tas;*

*Quam primum Polonia Rex erit, vir alius erit.*

*Ornabit regnum suo quisq; decore,*

*Ferdinandus egregio successore filio,*

*Leopoldus Forti commilitio,*

*Hermanaus felici conjugio.*

*Neuter unquam offendit Poloniam;*

*Nullus contra illam conspiravit,*

*Nullus bellavit.*

*Quodnam hic vel ille feret à regno redhostimentum?*

*Regis ornamentum; at post Lotharingicum.*

*X.*

*Apertis Christianissimi Regis Legati literis,*

*Honorariis in tabulis iterum apparuit Neoburgicus,*

*Commendatus,*

*Efficacissimo rogandi genere, rogantis nomine,*

\* Ferdinã-  
 dus natus  
 1625.  
 Leopoldus  
 1626.  
 Herman-  
 nus 1627.

Codicilli  
 Legati Gal-  
 liar Regis  
 pro Neo-  
 burgico, at  
 pro felici  
 Exregis ro-  
 gati in Gal-  
 liam adven-  
 na introi-

Princeps Germanus,  
 Natus Catholicus, quietus & industrius,  
 Rerum civilium gnarus & expeditus:  
 Studiosus,  
 Plura consilio, quàm vi agere,  
 Patriam clypeo, quàm gladio defendere,  
 Militarem Polonorum calorem Germano frigore, impetum mora,  
 Moderari, morari.  
 Tali prorsus indiga, fessa discordijs Polonia:  
 Alio sub nullo speranda quies, concordia, felicitas.  
 Si quid preces Regis, Domini mei, apud vos valeant,  
 Valeant velit pro Polonia quiete & concordia,  
 Proque quieto Principe Neoburgico,  
 Novo Polonia munimento.  
 Pacem Rex meus Polonia,  
 Diuturnis hæctenus, & sumtuosis et iravit legationibus,  
 Tot inter pervicacium studia Partium:  
 Nunc eandem iterum,  
 Nova legatione, novo desiderio, novo eligendi adminiculo.  
 Gallia quondam dedit Polonia Regem, Regibus Reginam,  
 Hodie gloriosior & sollicitior,  
 Procurate, quàm suis, regnum Polonia alijs:  
 Ac præ alijs, huic commendato:  
 Post hunc à se non impediri Badensem.  
 Eximendo tandem plerisq; Polonorum errori,  
 Regem hæctenus nullum ab illà Polonia ingestum,  
 Neq; hodie ingerendum;  
 Illa invita nullum è suis dabit, imploranti nullum recusabit.  
 Si tamen regno expediat suo,  
 Latera sua suis nudare Heroibus,  
 Condeo, Anghiano, Turenio, alijs;  
 Muniendo his muris Polonia regno:  
 Aut his placeat Heroibus,  
 Amena Gallia mutare asperis Polonia,  
 Ambire diadema Vnius nutu linguendum.

*Hi tales, tali Polonia genio,  
 Vel rogati fortè recedent, quàm accedent.  
 Regis quidem mei cura verè regia hac est,  
 Omnium, non suæ unius gentis, habere curam:  
 Publicè, quàm privatim prodesse,  
 Plura generi humano, quàm hominibus præstare;  
 Securitatem Europæ inter præcipua ac prima curare,  
 Velocissimi sideris more,  
 Omnia invisere, audire, unde quaq; statim adesse,  
 Nec nunc deesse Poloniæ vacuæ;*

*Suasio isto, non dissuasio alio, Germania Principe, regni Successore,  
 Vel etiam sperando, non offerendo, Gallia Heroe,  
 Utrolibet etiam:*

*Rege inde accepto, beneficium accipit, non dat Polonia,  
 Gallia meritis jam diu abundans & obmutescens.  
 Ipsa graviter hodiè offensa, & insensa Gemlabburbi (scij calamo;  
 Galliam gravibus falsisq; offendenti convicijs beneficam.  
 Sed regium est, benè facere, & malè audire.*

*Gallia semper bona Polonia Dea, hoc unicum rogat Poloniam,  
 Non ut ipsa Regem inde suum in solium,  
 Sed ut illa ejus Exregem suum in solum;  
 Amœnum in otium recipiat,  
 Munificentia regiâ, regis ministerijs, regijs alijs,  
 Redintegrandum:*

*Aut, si fortuna volet,  
 Sit idem illustre Regis inde summi, regniq; Polonia depositum,  
 Mutuus uterq; Galliam inter & Poloniam sponsor amicitia,  
 Polonia Exrex in Gallia; Gallia Heros Rex in Polonia,  
 Qui de sincero Regis mei sensu sequius sentit, insanit;  
 Fatuus præfari ausus casum in Gallia mirum Casimiro,  
 Fatum ubi majus tanto advena;  
 Plura mortale gaudium, festis vocibus, excipiendo,*

XI.

*Sericum Mosci instrumentum, rudi inscriptum vernaculâ,  
 Hunc in sensum;*

XI.  
 Codicilli  
 Legati  
 Mosci pro  
 Magni Domini  
 Equites in filio.

Equites Polonia fortissimi,  
 Quaso Filium Magni Mosci regniq; heredem,  
 Vestri Exregis proclamate successorem,  
 Vnilinguem penè vobiscum & unicordem,  
 Mox & religioni vestra uniformem.  
 Vestri regni causa fidem ille Gracam mutat Romana,  
 Et vel ipse pater eandem.  
 Proxenetis singulis tot millia numùm jam parata,  
 Tot donativa militi, tot congiaria plebi.  
 Regere ille & regi vult, quo ipsi vultis more modòq;  
 Omnibus potens & obnoxium jurat obsequium  
 Integram omnibus libertatem,  
 Publico, non sibi, totam utilitatem;  
 Intimis amorem, finitimis terrorem.  
 Hac regni successione utriusq;  
 Ad Poloniam redeunt bellis erepta Polonia,  
 Omne inter vos redimitur bellum,  
 Vertendum in finitimos,  
 Suecos, Gracos, Turcas, Tartaros,  
 Vel ipsos in Germanos, Austrios, Hungaros, Transylvanos.  
 Magno Christianorum bono, nostrorum auctu, commerciorù fructu:  
 Quis Regum in Europa par erit Polonia & Moscovia Regi?

## XII.

Vniuersa  
 Polonia de  
 extero eli-  
 gendo exte-  
 rorùq; mè-  
 tu consen-  
 sus & diffi-  
 cilis inter  
 penè pares  
 electio.

## XII.

Vniuersa ferè Polonorum Concio,  
 Super Senatorum & Equestrium de indigena ambiguo,  
 Commendatorum Exterorum desiderio,  
 A Polonia Primare rogata sententias,  
 Nitimur, inquebat, peculiari Polonia instituto;  
 Ne quis, nisi alienigena, à nobis eligatur,  
 Par regibus, sanguine, virtute, dotibus aliis.  
 Quas à se habeat, à nobis dignitatem regiam.  
 Eligendus Turbatur indigena reliquorum amulatione;  
 Electus, detrectatione parendi pari.  
 Electo alienigena, franguntur,  
 Omnium spes, amulationes, factioes, doli, ambitus;

Quibus



Quibus regna parantur, & evertuntur.

Candidati à tantis commendati pararijs penè pares;

Omnes eximij Principes, memorandi omnes.

Difficilior hinc deliberatio est & Electio,

Vter potior,

Neoburgicus, Lotharingicus, an Badensis,

Aut unus ex invitis Gallorum,

Aut ultrò volens & advolans è vicinia Moscus.

Res omnium collatione exquisitiùs expendenda,

Suffragijs dein expedienda.

## XIII.

Hic Senatores, illic Equestres, regni inter se.

Parvo post interjectu temporis,

Vnus Senatorum nomine Seniorum infit,

Indigam hodie Poloniam quietis, & quieti Regis;

Recuperandis regni bellis attriti viribus;

Ex regem quiete refoveri,

Patriam quiete melius haberi,

Polonos bello faciles tandem quieti assuescendos,

Victores semper fore, ubi quietà provisum industrià, ne vincantur.

Nostris hinc suffragijs nuncupamus Neoburgicum,

Principem tribus idoneis testibus, suisq; meritis magnum,

Idoneum, inturbidum, nobis necessarium.

## XIV.

Obversi in Seniores Senatorum juniores,

Obtestati,

Poloniam hodie validis & impotentibus circumdatam vicinis;

Intutam amicitiam,

Sueci, Brandenburgici, maximè Mosci;

Nostro fortè repudio exasperatoris;

Hos inter Poloniam falsò quieturam; quiescendo casuram.

Noxia est in periculis quies, in metuendis securitas.

Generosi Polonorum spiritus gaudent armis,

Bellico motu, celeritate, expeditione:

Contemptu militaris fama, contemnemur & ipsi;

XIII.  
Suffragia  
Seniorum  
pro Neo-  
burgico.

XIV.  
Suffragia  
Juniorum  
pro Lotha-  
ringico.

*Quiescendo commune crimen facturi.*

*Procul hinc periculosa quies, quæta industria,*

*Senex & quietus Princeps.*

*Adesto juvenis, alacris, vegetus, bellax,*

*Carolus Lotharingicus,*

*Prorsus idoneus,*

*Turbidis nostris rebus, vicinis, exteris, hostibus.*

XV.

*Suffragia  
mediorum  
pro Badensib.*

XV.

*Oblocuti junioribus Patrum medijs,*

*Medium hodiè esse Poloniae statum;*

*Nec turbidum penitus nec inturbidum;*

*Medium quoq; inter hos requiri Principem;*

*Nec senem nimis nec juvenem;*

*Nec segnem propè nec promptum;*

*Nec cunctabundum valdè nec precipitem;*

*Nec imbellem prorsus nec bellacem;*

*Virumlibet Badensem.*

*Quilibet hoc medijs nitet confinio, hoc virtutum medio.*

*Cujuslibet*

*Mens in Consiliis valet, in certamine dextra ::*

*At Ferdinandus præferendus;*

*Prærogativâ,*

*Ætatis, moderationis, filij successoris;*

*Verus ille humanitate Polonus.*

*Ultimus Candidatus, primus eligendus.*

XVI.

XVI.

*Vox libera:*

*Nobilitum*

*primaf-*

*tionis pro-*

*XII, Palati-*

*um regni:*

*admini-*

*stratori-*

*bus, addito*

*Proroge, ac*

*belli Impe-*

*ratoris Tu-*

*renio extero*

*Turba contra Nobilitum,*

*Quatuor in factiones scissa contrarias.*

*Vna*

*Vno omnes spiritu difflavit Candidatos Commendatos*

*Cetera egregios Principes,*

*Polonia, ut nunc est, minus idoneos ::*

*Neoburgicum quinquagenarium, & ultra, podagræ, militiæ in suetum;*

*Multis reor oneratum & onerantem liberis Poloniam;*

*Filium ejus, patre excedente, ætate & successione minorem.*

*Sueco consanguineum Brandenburgico dubium,  
 Litibus fortè revirescentibus,  
 Nos inter & Suecos,  
 Nobis minus promptum;  
 Neoburgicum inter & Brandeburgicum,  
 Polonia nimis turbidum.*

*Lotharingicum nondum regiâ etate, autoritate, prudentiâ,  
 Semel ductorem.*

*Domum ejus cum Gallo controversam, & obversam;  
 Ejus quandoq; cum isto dissidia nostra fore:  
 Hunc non frustra ab Imperatore primo laudatum loco,  
 Speratum Austriacæ Principis maritum.  
 Inde ipsi ad majora nitenti robur,  
 Nobis rubor ac metus,  
 Habituris media in Polonia Regem,  
 Nomine Lotharingicum, vi Austriacum,  
 Nostræ libertatis insidiatorem.*

*Publico olim edicto proclamatum infamem,  
 Qui in eligendo Polonia Rege Austriam ausit nominare;  
 Idem hodiè servandum, ampliandum;  
 Qui in eligendo eodem nomine ejusdem affinem.*

*Badenses obesos, obesiorem Ferdinandum;  
 Munia Regis ducisq; implere impeditum.  
 Quin imò Exrege vivo non opus Polonia Rege,  
 Id ejus dandum honori.*

*Poloniâ honore nominis esse regnum, formâ regiminis Rempubicam:  
 Exrege superstite eam regiõ haberi honore sine Rege.  
 Regendam hodie, ut olim, XII. Primoribus, Palatinis,  
 Sex singulis alternatim annis,  
 Summo eorum Præside Primate Poloniae;  
 Vitanda amulationi, decretationi parendi indigenis,  
 Adjutore Prorege extero,  
 Summo belli contra externos hostes Imperatore,  
 Turenio, nunc Catholico;  
 Tot bellis pro Rege suo feliciter confectis experto duce.*

*Sic rectius consuli Ex regis, regni, honori, ac salutis  
 Candidatorum cura ac pudori,  
 Nullius gaudia alterius tristitia turbari,  
 Alios cum letitia, alios cum spe recessuros:  
 Omnibus gratulandum, nemo consolandus erit.*

## XVIII.

*Vox libera  
 secunda  
 factionis  
 prima Clas  
 sis pro Lo  
 tharingico.*

## XVII.

*Altera Nobilium factio in tres distracta partes,*

*Vna ac prima Lotharingicum;*

*Altera ac sanior Neoburgicum:*

*Vltima ac gravior Badensem,*

*Sustinebat:*

*Lotharingicum regis undiquaque, dotibus, honoribus parem,*

*Iure suam in domum, accepta pecunia, cessio, aut cum Gallia pacto,*

*Nil inde incommodi Polonia, multum ex ea pecunia commodi.*

*Matrimonium cum Austriaca Polonia decorum,*

*Vanum hodie ab Austria metum, inanes libertatis insidias,*

*Illam-Pacis, quam belli studiosam, alieni minus ac olim ambitiosam.*

*Samoscianum in Austria edictum probrosum, turbidis dictum temporibus,*

*Hodie abolendum,*

*Altera contra pars.*

## Secunda

*pro Neobur  
 gico.*

*Neoburgicum in deflexa aetate, regendi prudentiam, maturum:*

*Podagrum? hinc minus morbidum; vel hinc podagra senibus bona.*

*Dein capite, non pedibus, regi populum, militem.*

*Liberos regni ornamenta fore ac munimenta,*

*Filium certum regni successorem.*

*Poloniam vel ob religionis paritatem sibi potiozem Succo.*

*Brandenburgicum ipsi, ut Domino, Vasallum, fore fidelem,*

*Litibus utrinque, amice jam sopitis, non amplius resuscitandis.*

*Vltima verò;*

## Vltima pro

*Badensi.*

*Ferdinandum quidem Badensem obesum; ast agilem,*

*Venatu, equitatu, manu;*

*Alterum in vibranda militariter hasta Totilam.*

*Nec Atrilam formam corporis, nec ab domine Carolum Gustavum,*

*In bellis impeditos.*

*Hunc gravem; ast exercitum, milia rari arte peritum.*

*Dotatum filio principalibus exercitijs dotato,  
Certo quandoq; regni rectore:  
Patrem vel ob filium omnibus expetibilem.*

## XVIII.

*Tertia Nobilium factio tota pro Mosco;  
Omnium, quæ habet, largitore maximo,  
Anima, pecunia, Moscuæ,  
Apiscendæ Polonia.*

*Non potuit, Moscus plura erogare, nec Polonus sibi arrogare.  
Illius acceptione regnum Polonia regno majus,  
Maximum inò futurum Imperium,  
Toti Europæ formidolosum.*

## XIX.

*Quarta & ultima & maxima, & omnibus contraria,  
Mosco maximè;  
Multa nunc largituro, plura post ablaturo Polonia.  
Moscu, utcunq; pro tempore simulet, naturâ tyrannū esse,  
Libero infensum regno:*

*Servis, non liberis, imperare suetum:*

*Polonis imperitaturum adductius:*

*Inde pro libertate bellum:*

*Nec Moscicum hōc rege redimi, sed seri.*

*Magnitudinem Imperij ipsi perniciosum Imperio.*

*Satiis populo Polono carere Moscici consortio regni,*

*Quàm eò magnitudinis crescere, suisque confici viribus.*

*Regnum Poloniae in concordia virtute, non in magnitudine situm.*

*Hæc Moscicum omne depelli bellum;*

*Hac illud seruari, commerciorum auctu corrumpi:*

*Nascituram ex opulentia potentiam, ex hac vicinorum emulationes,*

*Inde furiales in exitium Reipubl. faces.*

*Regnum Poloniae religione contineri, non vendi,*

*Moscum simile Prætextati, aut Chami, idem olim scæ ambientis:*

*Eundem fore religionis Vulpem, libertatis gryphem;*

*Falsum Catholicum,*

*Plus Poloniae nociturum, quàm verum hæreticum.*

XVIII.  
Vox libera,  
Nobilium  
tertia fa-  
ctionis pro  
Mosco.

XIX.  
Vox libera  
Nobilium  
quarta  
factionis  
pro Condō

*Diversis hæcenus suffragiis,  
 Alium Candidatorum electum, alium rejectum;  
 A nemine commendatum, nominatum, cogitatum Condém,  
 Regij sanguinis, animi, meriti, principem,  
 Gestorum gloria, bellica virtute clarum,  
 Nec prudentia civili minorem.*

*Totum animo Polonum, toti notum Polonia;  
 Nec eidem aliter ingratum hæcenus, nisi obtrusum quasi:  
 Vnius, ut ferebatur, nimio in proximior em affectu.*

*Excusatiùs omninò accipiendo:  
 Nullo, ut differebatur jussu, aut Imperio,  
 Nullo liberi, cogi nescij, coactù Populi.  
 Quin ipse nunc videtur cogendus Condém,  
 Solo fessæ Polonia bono,  
 Libero prorsus Nobilium arbitrio,*

*Veri non ignorantium verbum:  
 Vt roneas putere merces, easdem esse suspectas:*

*Contra*

*Collocandos in Rempubliam non ambientes;  
 Regem ex subtrahentibus; non ingerentibus, legendum,  
 Et nostro in posterum iri regno consultum meliùs,*

*Lectò invito;*

*Lectò Condéo, tantùm hodiè ab ambitu seposito,  
 Ut quæratù cogendus, rogatus recedat,  
 Invitatus effugiat.*

*Ergò,*

*Quod felix, faustum, latum, perpetuumq; fiet,  
 Regno, libertati, Nobilitati, paritati nostra,  
 Volentem nolimus, nolentem volumus,  
 Condém,*

*Patrem magni filij magnum,  
 Suis & illius virtutibus,  
 Suspiciendum, suscipiendum:  
 Vnà duobus operà defunçturi laboribus,  
 Eligendi boni Regis, & boni successoris.*

*Hæc magnis utrinq; acta contentionibus,  
Diversis suffragijs, versatis sententijs, huc illuc tortis,  
Clamore, strepitu, tumultu verborum,*

*Ubi plurimæ voces liberæ:*

*Sibi invicem ipsis obstrepentibus, opinantibus,  
Condẽm specie recusantis cupere regnum,*

*Famæ dari,*

*Ut vocatus, quàm per amicitiam, ambitumve, electus vi-  
Multis Urnam postulantibus, (deatur.*

*Ne quis electo aliò alius credatur post habitus;*

*Alijs eandem aspernantibus; asseverantibus,  
Sorte & urnâ mores non discerni,*

*Nec his eligi Regem: Polonia solitum:*

*Suffragia & existimationem Senatus reperta,*

*Penetrandis cujusq; meritis, regno dignis:*

*Hocq; pertinere ad Reipublica utilitatem.*

## XXI.

*Intercessit varijs sermonibus Primas Polonia;  
Vestro, inquit, iudicio, Proceres, de sumendo extero asseztior.*

*Uter verò;*

*Vestro ore nunc pronuncianus, meo Rex appellandus.*

*Sola hic valet vox libera non maior, non sanior,*

*Non suffragia, non preces e blandite, non codicilli amicorum,*

*Non largitio, non corruptio, non ambitus.*

*Nemo omnes ambire,*

*Nemo omnibus largiri, unus omnibus obloqui potest.*

*Equidem,*

*Dilatis Neoburgica seniori, Lotharingico juniori,*

*Badensi medio in medium relicto*

XII. *Palatinis regni administratoribus, hodie insolitis,*

*Prorege extero summo belli ducereliquis ducibus intolerando.*

*Liberâ mea voce;*

*Voce Primatis in Polonia, summiq; ibidem Pontificis legati,*

*Quo Comb-  
riorâ stre-  
pitu hac  
excepta.*

## XXI.

*Primatis  
de omnium  
sententiis  
sententiis  
& de obi-  
gendo vox  
interrupta;*

Ex omnibus exteris illum.....

Ad quem illum?

Vnus Nobilium liberâ statim interfatus voce,  
Vocem primatis liberam interrupit, & nomen eligendi;  
Ab Exrege, Nobilium hodiè primo vè, nominandi.

X XII.

Exregis so-  
lertiâ Con-  
dèus divi-  
no iudicio  
electus. II.  
regni cir-  
cum scri-  
ptus.

Summâ Numinis reverentiâ, ingenij solertiâ, omniû vicit certamina  
Ne non Polonia Regem liqueret divinitus datum,

Summum omnium Regum arbitrum,

Cujus est, cui liber, regnum conferre, & auferre,

Ultimam rogavit sententiam DEVM;

DEVS cunctis vè, interræ cordis inspector Deus,  
Mihinè Neoburgicus, an Lotharingicus, aut Badensis succedet? cedit.  
Anne quilibet horum cedit Condèo? DEO.

At qualis erit in regno Condèus? Deus,

Ergo ut terrestrem in Polonia deum eligendum Condèum? Eum.

Vox divina magnis omnium excepta acclamationibus,  
Vel Candidatorum spontè cedentium.

Condèus Polonia Deus,

Tanquam ab ipso Deo coràm ac palàm repertus,  
Absq; morâ liberis omnium suffragijs, vocibus, electus est,

Novus Polonia Rex,

LL. regni, autoritate suadendi, quàm jubendi potestate,  
Circumscriptus.

Grates DEO, Exregi, pro Electo acta.

Sic ultimus nominatus, primus coronatus.

